

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Evtropii Breviarivm Historiae Romanae

Eutropius

Norimbergae, MDCCCLXXXIV.

VD18 12711160

Liber Sextvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16405

fugit, et ibi per Cn. Pompeium interfec-
tus est: quem adolescentem Sylla atque
annos unum et viginti natum, cognita
eius industria, traditis exercitibus pree-
fecerat, ut secundus a Sylla haberetur.

CAP IX. Occiso ergo Carbone Sici-
liam Pompeius recepit. Transgressus in-
de ad Africam, Domitium, Marianae
partis ducem, et Hiarbam, regem Mau-
ritaniae, qui Domitio auxilium ferebat,
occidit. Post haec Sylla de Mithridate
ingenti gloria triumphauit. Cn. etiam
Pompeius (quod nulli Romanorum tri-
butum erat) quartum et XX annum agens,
de Africa triumphauit. Hunc finem ha-
buerunt duo bella funestissima; Italicum,
quod et Sociale dictum est; et ciuile:
quae ambo tracta sunt per annos decem.
Consumserunt ultra CL millia hominum:
viros consulares XXIV, praetorios VII,
aedilitios LX, senatores fere CC.

LIBER SEXTVS.

CAP. I. **M**arco Aemilio Lepido, Q.
Catulo consulibus, cum
Sylla rempublicam composuisset, bella
noua

noua exarserunt: unum in Hispania; aliud in Macedonia; tertium in Pamphylia et Cilicia; quartum in Dalmatia. Nam SERTORIVS, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam ceterorum, qui interemti erant, ad bellum commouit Hispanias. Missi sunt contra eum duces Q. Caecilius Metellus, filius eius, qui Iugurtham regem vicit: et L. Domitius praetor. A Sertorii duce Hirtuleio Domitius occisus: Metellus vario successu contra Sertorium dimicauit. Postea cum impar pugnae solus Metellus putaretur, Cn. pompeius ad Hispanias missus est. Ita duobus ducibus aduersis Sertorius fortuna varia saepe pugnauit. Octauo demum anno a suis occisus est, et finis ei bello datus per Cn. Pompeium adolescentem, et Q. Metellum Pium: atque omnes prope Hispaniae in ditionem populi Romani tedaetae sunt.

CAP. II. Ad Macedoniam missus est Appius Claudius. Post consulatum leuia proelia habuit contra varias gentes, quae Rhodopam prouinciam incolebant; atque ibi morbo mortuus est. Missus ei successor C. Scribonius Curio post consulatum. Is Dardanos vicit, et usque ad

Danubium penetrauit; triumphumque meruit et intra triennium finem bello dedit.

CAP III. Ad Ciliciam et Pamphyliam missus est P. Seruilius ex consule, vir strenuus. Is Ciliciam subegit, Lyciae urbes clarissimas oppugnauit, et cepit: in his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciae. Isauros quoque aggressus ad dditionem rededit; atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Tauro iter fecit. Reuertens triumphum accepit; et nomen *Isaurici* meruit.

CAP. IV. Ad Illyricum missus est Cn. Cosconius pro consule: multam partem Dalmatiae subegit, Salonas cepit, et composito bello Romam post biennium rediit.

CAP. V. Iisdem temporibus consul M. Aemilius Lepidus, Catuli collega, bellum ciuale voluit commouere; intra tam unam aestatem motus eius oppressus est. Ita uno tempore multi simul triumphi fuerunt: Metelli ex Hispania, Pompeii secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Seruillii ex Isauria.

CAP.

CAP. VI. Anno urbis conditae DCLXXVI. L. Licinio Lucullo, et M. Aurelio Cotta COSS. mortuus est Nicomedes, Rex Bithyniae, et testamento populum Romanum fecit heredem. Mithridates pace rupta Bithyniam et Asiam rursus voluit inuadere. Aduersus eum ambo consules missi, variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem vietus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus est et obseffus. Sed cum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut Cyzico capta totam Asiam inuaderet, Lucullus ei alter consul occurrit: ac dum Mithridates in obsidione Cyzici commoratur, ipse eum a tergo obsedit, fameque consumpsit, et multis proeliis vicit: postremo Byzantium (quae nunc Constantinopolis est) fugauit, nauali quoque proelio duces eius Lucullus oppressit. Ita una hieme et aestate a Lucullo centum fere millia regis extincta sunt.

CAP. VII. Anno urbis Romae DCLXXVIII Macedoniam provinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus Luculli, qui contra Mithridatem bellum gerebat. Et in Italia nouum bellum subito commotum est. Septuaginta enim

quatuor gladiatores, ducibus Spartaco, Crixo et Oenomao, effracto Capuae ludo, effugerunt; et per Italiam vagantes, pene non leuius bellum in ea, quam Hannibal mouerat, parauere. Nam multis ducibus, et duobus simul Romanorum consilibus victis, sexaginta fere millium armatorum exercitum congregauerunt: victique sunt in Apulia a M. Licinio Crassfo proconsule, et post multas calamitates Italiae, tertio anno, bello huic finis impositus.

CAP. VIII. Sexcentesimo octogesimo primo urbis conditae anno, P. Cornelio Lentulo, et Cn. Aufidio Oreste COSS. duo tantum grauia bella in imperio Romano erant, Mithridaticum et Macedonicum. Haec duo Luculli agebant, L. Lucullus, et M. Lucullus. L. ergo Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridatem; et naualem, qua duces eius oppreßerat, persecutus est eum: et recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam regnum eius inuasit: Sinopen et Amisum, ciuitates Ponti nobilissimas, cepit. Secundo proelio apud Cabira ciuitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum XXX mil-

millia lectissima regis, a quinque Romanorum millibus vastata essent, Mithridates fugatus est, et castra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Suceptus tamen est Mithridates post fugam a Tigrane, Armeniae rege, qui tum ingenti gloria imperabat, Persas saepe vicerat, Mesopotamiam occupauerat, et Syriam, et Phoenices partem.

CAP. IX. Ergo Lucullus repetens hostem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui Armeniis imperabat, ingressus est: Tigranocerta, ciuitatem Armeniae nobilissimam, cepit: ipsum regem cum sexcentis millibus clibaniorum, et centum millibus sagittariorum et armatorum venientem, XVII millia militum habens ita vicit, ut magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde Nisibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fratre cepit. Sed hi, quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones vietas etiam Romanorum tuerentur, negligenter se et avare agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt, atque ita bellum renouatum est. Lucullo paranti, capta

Nisibi, contra Persas expeditionem, successor est missus.

CAP. X. Alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti proelio in Haemo monte superauit: oppidum Vscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo aggressus est, vicit: Cabylem cepit; usque Danubium penetrauit. Inde multas supra Pontum positas ciuitates aggressus est. Illic Apolloniam euertit; Calatim, Parthenopolin, Tomos, Histrum, Burzianem cepit: belloque consecto, Romanum rediit. Ambo tamen triumphauerunt: Lucullus, qui contra Mithridatem pugnauerat, maiori gloria, cum tantorum regnum victor redisset.

CAP. XI. Confecto bello Macedonicō, manente Mithridaticō, quod, rececente Lucullo, rex collectis auxiliis reparauerat, bellum CRETICVM ortum est. Ad id missus Caecilius Metellus, ingentibus proeliis intra triennium omnem prouinciam cepit, appellatusque est *Creticus*, atque ex insula triumphauit. Quo tempore Lybia quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex eius fue-

fuerat, accessit: in qua inclytae ciuitates erant, Berenice, Ptolemais, et Cyrene.

CAP. XII. Dum haec geruntur, PLRATAE omnia maria infestabant ita, ut Romanis, toto orbe victoribus, sola nauigatio tuta non esset. Quare id bellum Cn. Pompeio decretum est; quod intra paucos menses, ingenti et felicitate et celeritate confecit. Mox ei delatum bellum etiam contra regem Mithridatem et Tigranem: quo suscepito, Mithridatem in Armenia minore nocturno proelio vicit, castra diripuit: quadraginta millibus eius occisis, viginti tantum de exercitu suo perdidit, et duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit, et duobus comitibus. Neque multo post, cum in suos fauiret, Pharnacis filii sui apud milites seditione, ad mortem coactus venenum hausit. Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem apud Bosporum, vir ingentis industriae consiliique. Regnauit annis sexaginta, vixit septuaginta duobus, contra Romanos bellum habuit annis quadraginta.

CAP. XIII. Tigrani deinde Pompeius bellum intulit Ille se ei dedit, et

in castra Pompeii sextodecimo milliario ab Artaxata venit: ac diadema suum, cum procubuissest ad genua Pompeii, in manibus ipsi collocasit: quod ei Pompeius reposuit; honorificeque eum habitum, regni tamen parte multauit, et grandi pecunia. Adeinta est ei Syria, Phoenice, Sophene: sex millia praeterea talentorum argenti, quae populo Romano daret, quia bellum sine causa Romanis commouisset.

CAP. XIV. Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit, et eorum regem Oroden ter vicit: postremo per epistolas et munera rogatus, veniam ei ac pacem dedit. Iberiae quoque regem Artaen vicit acie, et in ditionem accepit. Armeniam minorem Deiotaro, Galatiae regi, donauit, quia socius belli Mithridatici fuerat. Attalo et Pylameni Paphlagoniam reddidit; Arisbarchum Colchis regem imposuit. Mox Ituraeos et Arabas vicit; et cum venisset in Syriam, Seleuciam, vicinam Antiochiae ciuitatem, libertate donauit, quod regem Tigranem non receperisset. Antiochenibus oblides reddidit: aliquantum agrorum Daphnenibus dedit, quo

quo lucus ibi spacioſior fieret, delectatus amoenitate loci, et aquarum abundantia. Inde ad Iudeam transgressus, Hierosolymam, caput gentis, tertio mense cepit, duodecim millibus Iudeorum occisis, ceteris in fidem acceptis. His gestis, in Asiam se recepit, et finem antiquissimo bello dedit.

CAP. XV. M. Tullio Cicerone oratore, et C. Antonio COSS anno ab urbe condita DCLXXXIX, L. Sergius Catilina, nobilissimi generis vir, sed ingenii prauissimi, ad delendam patriam coniuravit cum quibusdam, claris quidem, sed audacibus viris. A Cicerone urbe expulsus est: socii eius deprehensi, in carcere strangulati sunt. Ab Antonio altero consule, Catilina ipse proelio victus est, et imperfectus.

CAP. XVI. Sexcentesimo nonagesimo anno ab urbe condita D. Junio Silano et L. Murena COSS. Metellus de Creta triumphavit; Pompeius de bello Piratico et Mithridatico. Nulla unquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante eius currum filii Mithridatis, filius Tigranis, et Aristobulus rex Iudeorum: praelata est ingens pecunia, auri atque
ar-

argenti infinitum pondus. Hoc tempore nullum per orbem terrarum graue bellum erat.

CAP. XVII. Anno urbis conditae DCXCIII, C. Iulius Caesar, qui postea imperauit, cum L. Bibulo consul est factus. Decreta est ei Gallia et Illyricum, cum legionibus decem. Is primo vicit Heluetios, qui nunc Sequani appellantur. Deinde vincendo, per bella grauissima usque ad Oceanum Britannicum processit. Domuit autem annis nouem fere omnem Galliam, quae inter Alpes, flu-
men Rhodanum, Rhenum, et Oceanum est, et circuitu patet ad bis et tricies centena millia passuum. Britannis mox bellum intulit; quibus ante eum ne no-
men quidem Romanorum cognitum erat: et eos quoque victos, obsidibus acceptis,
stipendiarios fecit. Galliae autem tribu-
ti nomine annum imperauit festertium quadringenties: Germanosque trans Rhe-
num adgressus, immanissimis proeliis vi-
cit. Inter tot successus ter male pugnauit:
apud Aruernos semel ptaesens, et absens
in Germania bis. Nam legati eius duo,
Titurius et Aurunculeius, per insidias
caeli sunt.

CAP.

CAP. XVIII. Circa eadem tempora, anno urbis conditae DCXCVII, M. Lici-
nius Crassus, collega Cn. Pompeii Magni
in consulatu secundo, contra Parthos
missus est: et cum circa Carras contra
omina et auspicia dimicasset, a Surrena,
Orodis regis duce victus, ad postre-
mum imperfectus est cum filio, clarissimo
et praestantissimo iuuene. Reliquiae ex-
ercitus per C. Cassium quaestorem serua-
tae sunt: qui singulari animo perditas res-
tanta virtute restituit, ut Persas, rediens
trans Euphratem, crebris proeliis vince-
ret.

CAP. XIX. Hinc iam bellum civile
successit execrandum et lacrymabile:
quo, praeter calamitates, quae in pro-
liis acciderunt, etiam Romani Populi for-
tuna mutata est. Caesar enim, rediens
ex Gallia viator, coepit poscere alte-
rum consulatum: atque ita ut sine du-
bietate ei aliqua deferretur. Contradi-
ctum est a Marcello COS. a Bibulo, a
Pompeio, a Catone; iussusque dimissis
exercitibus ad urbem redire. Propter
quam iniuriam, ab Arimino, ubi mili-
tes congregatos habebat, aduersum pa-
triam

triā cum exercitu venit. Cōsules cum Pompeio, senatusque omnis, atque uniuersia nobilitas ex urbe fugit, et in Graeciam transiit: apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, senatus contra Caesarem bellum parauit.

CAP. XX. Caesar vacuam urbem ingressus, dīctatorem se fecit. Inde Hispanias petiit. Ibi Pompeii exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone, superauit. Inde regressus, in Graeciam transiit, aduersum Pompeium dimicauit. Primo proelio victus est et fugatus, euasit tamen: quia nocte interueniente Pompeius sequi noluit: dixitque Caesar, *nec Pompeium scire vincere, et illo tantum die se potuisse superari.* Deinde in Thessalia apud Palaeopharsalum, productis utrimque ingentibus copiis, dimicauerunt. Pompeii acies habuit XL millia peditum, equites in sinistro cornu sexcentos, in dextro quingentos; praeterea totius Orientis auxilia. totam nobilitatem, innumeros senatores, praetorios, consulares et qui magnorum iam populorum viētores fuissent.

sent. Caeser in acie sua habuit peditum non integra XXX millia, equites mille.

CAP. XXI. Nunquam adhuc Romanae copiae in unum, neque maiores, neque melioribus ducibus, conuenerant, totum terrarum orbem facile subacturae, si contra barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione; vietusque ad postremum Pompeius, et castra eius direpta sunt. Ipse fugatus, Alexandriam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter iuuenilem eius aetatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis, quam amicitiam fecutus, occidit Pompeium; caput eius et annulum Caesari misit. Quo conspecto, Caeser etiam lacrimas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, et generi quondam sui.

CAP. XXII. Mox Caesar Alexandriam venit. Ipsi quoque Ptolemaeus parare voluit infidias; qua caussa regi bellum illatum est. Vixit, in Nilo periit, inventumque est corpus eius cum lorica aurea. Caesar Alexandria potitus, regnum Cleopatrae dedit. Ptolemaei sorori, cum qua consuetudinem stupri haberat.

buerat. Rediens inde Caesar Pharnacem, Mithridatis Magni filium, qui Pompeio in auxilio apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, atque multas populi Romani prouincias occupantem, vicit acie: postea ad mortem coegit.

CAP. XXIII. Inde Romanum regressus, tertio se consulem fecit cum M. Aemilio Lepido, qui ei dictatori magister equitum ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Iuba, Mauritaniae rege, bellum reparauerat. Duces autem Romani erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: (hic etiam ficer Pompeii Magni fuerat) M. Petreius, Q. Varus, Porcius Cato, L. Cornelius Faus-tus, Syllae dictatoris filius. Contra hos commisso proelio post multas dimications viator fuit Caesar. Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipsi se occiderunt: Fau-stus (Syllae quondam dictatoris filius) Pompeii gener, a Caesare imperfectus est.

CAP. XXIV. Post annum Caesar Romanum regressus, quarto se consulem fecit, et statim ad Hispanias est profectus; ubi Pompeii filii, Cnaeus et Sextus, ingens

gens bellum reparauerant. Multa proelia fuerunt; ultimum apud Mundam ciuitatem: in quo adeo Caesar pene victus est, ut, fugientibus suis, se voluerit occidere; ne post tantam rei militaris gloriam, in potestatem adolescentium, natus annos sex et quinquaginta, veniret. Denique reparatis suis vicit; ex Pompeii filiis maior occisus est, minor fugit.

CAP. XXV. Inde Caesar bellis ciuibus toto orbe compositis Romanam reddit; agere insolentius coepit, et contra consuetudinem Romanae libertatis. Cum ergo et honores ex sua voluntate praefstaret, qui a populo antea deferebantur, nec Senatui ad se venienti adsurgeret, aliaque regia ac pene tyrannica ficeret; coniuratum est in eum a LX vel amplius senatoribus equitibusque Romanis. Praecipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romae consul fuerat, et reges expulerat; C. Cascius et Seruilius Casca. Ergo Caesar, cum senatus die inter ceteros venisset ad curiam, XXIII vulneribus confossus est.

Eutropius.

F

LI-

LIBER SEPTIMVS.

CAP. I. **A**nno Vrbis septingentesimo fere ac nono, imperfecto Caesare, bella ciuilia reparata sunt. Percussoribus enim Caesaris senatus fauebat. Antonius COS. partium Caesaris, ciuibus bellis opprimere eos conabatur. Ergo turbata republica multa Antonius scelerata committens, a senatu hostis iudicatus est. Missi ad eum persequendum duo COSS. Pansa et Hirtius, et Octauianus adolescens, annos X et VIII natus, Caesaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat, et nomen suum ferre iusserat. Hic est, qui postea Augustus est dictus, et rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eum. Euenit tamen, ut victores COSS. ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Caesari Augusto paruerunt.

CAP. II. Fugatus Antonius, amissus exercitu confugit ad Lepidum, qui Caesaris magister equitum fuerat, et tum copias militum grandes habebat: a quo suscepimus est. Mox Lepido operam dante Cae-